



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Die vigesima lulij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

sancti Petri, alteram sancti Iohannis præcursoris Domini. Medietatem quoque collegij sancti Saluatoris pro reuerentia beati Lebuini Dauentriam transplantauit; & abbatiam reuerendi patris Aufridi de Monte sancto Traiectum transtulit, vbi conuentualem ecclesiam in honorem sancti Pauli condidit. Ecclesias præterea & loca sacra per dicec-  
sim suam ruinam minantia, in cultum pristinum restituit &  
orauit. In hac itaque tam sancta conuersatione, vsque in  
finem vitæ perseverans, migravit ad Dominum anno millesimo  
quinquagesimoquarto, sepultus in sanctuario eccle-  
siae sancti Petri per ipsum fundatæ: translatus tamen postea  
collocatus est in choro, vbi plurimis claret signis & virtu-  
tibus: quo & mortales plures nostra tempestate confluunt  
salutis gratiâ. Interueniente autem Bernulpho ecclesia  
Traiectensis hæc accepit incrementa. Berta nobilis & in- *Chartas do-*  
genua fœmina caput suum liberum donans, altare sancti *nationum*  
Martini, secum familia subiecit tutelæ Ecclesiæ Traiecten- *habet Guil.*  
sis. Henricus tertius, innicetissimus rex, eidem Ecclesiæ in *Heda, in his*  
qua Conradi Imperatoris patris sui viscera sepeliuit, contu- *stor. Traie-*  
lit. *Vphelte, Wthelte, Pthelo,* quæ Vlffo & frater eius posse- *ctensi M. S.*  
derant in Comitatu *Trente, Lintherwunge & Enon* in Comi-  
tatu Rodolphi inter *Emese & Laneke* fluvios, prædium suum  
in villa Groninga, comitatum Agridiocensem sive Ambal-  
cha, locum *Dauentre* cum Comitatu *Amelande*, & ex-  
spectariam Comitatus qui post obitum Gozlini ducis re-  
giæ ditioni in *Trente* visus est subiacere.

### Die vigesima Iulij.

#### De sancto Vulmaro abate.

*Ex historia descripta, cuius portio est in tomo Surij quarto.*

**I**N Gallijs, pago Bononiensi, monasterio Sil-  
uiaco, natalis sancti Vulmari, confessoris ad-  
mirandæ sanctitatis & religionis viri. Natus est  
in inferioribus Galliæ partibus, in villa Siluiaco,  
ex parentibus Christianis, & iuuenis coniugem  
accepit Historaldam. Quam aliis velut suam *V-*  
*pud* principem Francorum repetijt. Vulmarus  
proinde

proinde iussu principis sponsa priuatus, petijt  
Altimontem monasterium, quod est in pago Han-  
noniensis, ad Sambram fluuium. Vbi primùm bo-  
nes pauit, & ligna ad fratrū officinas importa-  
uit. Deinde literis operam dedit, & vir humilis  
qui nocturno tempore calceos fratrum munda-  
bat, in clerum asscriptus est, & ob vltæ meritum  
etiam sacerdotio iniciatus. Ut autem hominum  
laudes vitaret, ingressus est in Mempisco ere-  
num; vbi in caua arbore per dies tres delituit,  
omnis alimenti inops, donec illi Angelica cura  
per fidelem hominem cibus adferretur. Cùm au-  
tem constructa inibi cellula bonum certamen cer-  
taret, multos Domino lucraretur, & Dominus  
per eum multas operaretur virtutes, propter mul-  
torum confluxum clam ad locum natuum seces-  
sit, vbi in hæreditaria silua construxit ecclesiam,  
in honorem Deiparæ virginis & sancti Petri A-  
postoli. Vbi etiam Ceadualla, rex Occidentalium  
Saxonum, catechumenus eum inuisit. Ex con-  
fluentium vero turba monasticam adunauit con-  
gregationem utriusque sexus, viros tamen semo-  
uens à fragili sexu, cui neptem suam Bertanam  
præfecit. Sed & oblatas eulogias largè pauperibus  
distribuebat. Quiescit quidem extra limites Bel-  
gij, vt nunc sunt in territorio Bononiensi: Belgici  
stamen sanctis merito annumeratur, quia san-  
cte vixit primùm in Hannonia, deinde in ea par-  
te Flandriæ, quæ veteribus dicebatur Mempiscus  
& Menapiscus. Scribit autem Meierus, quod  
Eikenses in agro Casletano afferant se nomen ha-  
bere ab arbore in qua latuit, quodque sanctum  
Vulmarum templi sui patronum studiosè vene-  
rentur.

Anno 688.

Vigesima